

4

AUSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGUSTI
ELECTORAT. SAX. HEREDIS
ET RELIQVA
DE
INCOLIS
PLANETARVM
DISSERTATIONEM POSTERIOREM
PRAESES
M. CHRISTIANVS HEMPEL
HOENLIEBENTHALIA SILESIVS
AD DIEM XII IVN. MDCC XVII
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
PVBLICE VENTILANDAM SISTIT
RESPONDENTE
IOANNE CHRISTOPHORO SEYBT
GRYPHIM. SIL. SS. THEOL. STVD.
—
VITEMBERGAE
LITERIS SAMVELIS CREVSIGH

RECOLATIONIS MAGNIFICENTISSIMI
KIRCHENKANTAMI. PER LUDVICUM RICARDUM DODWELLUM

DOMINI IESU CHRISTI VICTORI AUGUSTI

ELLOGICRAT SAX-HERRIDI
THEATUR AUGUSTI 1666

DE

INGOLO SPIANETAR AM

DE EXCELSIORVM PROYAC TION EST PER AUGUST 1666

MICHAEL CHRISTIAN HEMPER

HOLF FERD ING HAN STE VIT SIL STA SIL STA

AD DIE MAR TIN 1666

IN ANDIONIO PER IN OSC ALC CO

TAB ULT ION AND MAM SIL STA

LAU RUS MAR TIN SIL STA

JOANNES HAN STE VIT SIL STA

ERITVM IN SE IN HAN STE VIT SIL STA

AVIME REG EGO SIL STA

THESSALIAE SAMPLIUS CIVITATIS
CON SULT AUGUST 1666



Ostquam in Dissertatione nostra priorre, argumenta, quibus pro defendendis planetarum incolis utuntur aduersarii, expendimus, sufficienterque, opinamur, refellimus, restat, ut qualescunque nostras rationes, contrarium corroborantes sententiam, nunc proferamus. Probatur itaque nullos dari incolas planetarum.

I. A defectu probationis dissentientium. Horum enim demonstrationibus, quas perlungauimus, praecipuis, quantum insit roboris, quilibet facile intelliget. Quae supersunt, argumentandi rationes, nullius quoque ponderis adeoque prolixiore refutatione uix dignae sunt. Nec ipsi quidam planeticolarum aduocati dissententur, argumenta sua ad classem probabilium tantum esse referenda, immo *Christ. Hugenius*, quo certe nemo maiorem in hoc argumento, monstrauit industriam, ipse coniecturarum titulo insigniuit suum *Kosmographia sive de terris coelestibus tractatum*: Hinc suave illorum somnium de planeticolis uanescit. Et nos in refutandis porro iis, quae restant ratiunculis, orationis uanitatrem non adhibituri, pergimus, ac nullos dari planetarum incolas probamus:

II. A natura planetarum, incolis alendis neutiquam apta. Quod tum in genere de omnibus, tum de singulis in specie demonstrari potest. Planetas generatim omnes esse corpora animantium habitationibus minime idonea demonstramus:

i. Ratione materiae eorundem et essentiae. Inter ethnicos pariter ac Christianos philosophos diffensio de stellarum materia ingens semper ac uaria oborta est. Nobis, angustis hic circumdati cancellis, missis omnibus aliorum hac in controuersia, opinionibus, nostram solummodo sententiam exponere uacat. Sentimus autem stellas in uni-

uersum omnes quarto creationis die, a Deo conditas esse ex luce illa primo die facta. Speciatim uero stellas, quas erraticas uocare solent, ex eadem quidem lucis primogeniae materia, crassiore tamen, collectas atque conglobatas esse, existimamus. Ad hanc sententiam probandum, nihil solidi suppeditare posse Rationem, quippe cui uix ac ne uix quidem externam stellarum superficiem contemplari, relictum est, experientia edocemur. Reuelatio uero, quam speculationibus humanis omnibus, multis merito anteponit parasangis, philosophus Christianus, largiorem de materia Coelestium globorum differendi materiam nobis praebet. Et qui ualeret ratio humana de stellarum a nobis remotissimarum natura certi quid pronunciare, cum in hac mentis mortalium caligine, essentiae rerum plerarumque, quae ante oculos uersantur, in mundo hoc inferiore nobis incognitae sint? Adeamus potius summum Artificem, qui omnium optime atque uerissime de sui operis ratione disserere et loqui potest, cuique potius in ea re fides adhibenda est, quam cuiquam alii. Docet autem Spiritus Domini, qui stellas intus nouit quique eas fabricauit, in uerbo suo suauissima omnis ueritatis face, luculenter:

1) Creatori summo intentionem fuisse corpora formare lucida. Sic enim dicebat Iehoua: Fiant luminaria in expanso! Gen. I. 14. ubi non sine emphasi uerbum singulare *fiat* construitur cum nomine plurali *luminaria*, ad significandum, lucem illam primogeniam hoc Dei uerbo conuersam fuisse in stellas, ut inde hic emergat sensus: *Illa lux, quae per totum dispersa est Coelum, contrahatur et fiant certa quaedam luminaria.* Vnde Iustinus et Basilius bene aiunt: *Astra esse sicut candelabra, in quibus collocata est primaeua lux, ut haec Verba refert Otbo Casmannus in Astrologia P. I. c. 2. p. 84. et Sennertus recte scribit: Veritati consentaneum est, Deum Opt. Max. lucem illam primaeuam, quam primo die creauit, quarto die in stellas distribuisse, et hinc omnem stellam.*

stellarum numerum prodidisse. Epit. Scient. nat. L. II. c. 2. p. 180.

Sententiam hanc porro confirmamus:

(2) Ex eo, quod lucem illam primogeniam a Deo post creationem iterum annihilatam esse, nec ullib[us] Sacra[r]um literarum monumentis reperiatur, nec sine absurditate dici possit, cum valde bona fuerit, nec quicquam a Creatore sapientissimo productum interierit. Plures adhuc rationes allegare possemus, nisi probe sciamus, neminem facile inter saniores in orbe Christiano philosophos ac Theologos fore, qui veritatem hanc in dubium uocaret. Evidem, quod stellas fixas attinet, res clarior est. De planetis autem, quippe qui scrupulos alicui mouere possunt, idem quoque iudicium ferendum esse, demonstramus. Patefecit uero, planetas omnes ex eadem hac materia lucis primogeniae fabricatos esse, exinde, quia:

(1) Planetarum neque nomen neque Origo specialiter uspiam in S. Codice describitur, certissimo indicio, haec lumina sub generali nomine stellarum comprehendendi, quandoquidem Diuinus Moses refert, Creatorem condidisse Sollem, Lunam atque stellas. Gen. I. 16. Hinc etiam Stylo Scripturae S. semper Solis tantum Lunae ac stellarum fit mentio. Excipiunt hic quidem alii, si non impie saltem satis temere, Mosen atque reliquos Scriptores S. ignorasse differentiam planetarum a stellis fixis. Ast uero, cum nihil prius oculos mortalium ad se rapiat, quam ipsi mundi oculi, Coelique lumina, secundum illud poetae:

*Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit, Coelumque tueri*

Iussit, ei erectos ad sydera tollere uultus :

requirat, ut oculos intentos habeamus uersus Coelum, tum ut contempnemur gloriam Dei in Coelis micantem, tum ut meditemur, conuersationem nostram in Coelis esse debere: probabile hinc omnino uidetur, Astronomiae studium cum ipsis statim astris ortum esse. Vnde stellarum distinctio-

nem quoad figuram antiquissimam et uel ante uel certe statim post diluvium notam fuisse, testantur non solum *Hesiodus* et *Homerus*, verum etiam *S. Literae*, cum *Iob.* XXXVIII. 31. *Arcturi*, *Orionis*, *Hyadumque* fiat mentio, de quo conf. *Sennert.* I. c. p. 206. Et quamvis columnas illas *Sethianas*, quibus Astronomiam ab Adamo inde transmissam, insculptam fuisse perhibet *Iosephus Antiquit.* *Iud.* L. I. c. 3. et 8. in dubium vocare soleant eruditii, hoc tamen certum est, Aegyptios pariter ac Chaldaeos diligenter incubuisse studio Astronomico. Quis itaque afflere ausit, Mosen in omni sapientia Aegyptiorum eruditum, a Deo ipso institutum inque scribendi actu infallibilem, errare potuisse in eo, quod planetas non distinxerit a stellis fixis?

(2) Luna, inter corpora planetaria, crassissimum, disertis verbis *luminare* dicitur *Gen.* I. et aliis in locis *Script.* S. ipsi lux tribuitur u. c. *Esa.* XXX. 26. c. LX. 20. *Ier.* XXXI. 35. *Ezech.* XXXII. 7. i. *Cor.* XV. 41. *Matth.* XXIV. 29. Ex quo relinquitur, Lunae ac planetarum Globos non solum compactos esse ex materia lucis tali, quae facillime lucem recipit, sed etiam eos luce propria aliqua gaudere, licet adeo debili, ut in tam remotissima, omnem usus proportionem excedente distantia a nobis prius conspici non possit, quam a Solis radiis illustrati et ad maiorem lucis gradum eleuati fuerint planetae.

(3) Maximum argumentationi nostrae pondus adiiciunt colores planetarum diuersi, qui stellarum fixarum coloribus similes, analogiam quandam materiae horum luminum manifeste arguunt. Syderalis enim scientiae peritis haud obscurum esse potest, planetam alium, alium antecellere luce et colore, ita ut non nisi summa animi delectatione luminum horum splendidissimorum intueamur uaritatem. Etenim *Saturnus* uisitum cinereus, *Jupiter* fulgoranti atque hilari fulget luce, *Mars* igneus, *Venus* candidissima lucidissimaque, *Mercurius* rubicundus ad sanguineum colorem uer-

uergens, apparent. Quae differentia colorum non aliunde est,
quam a raritate ac densitate lucis, ex qua singuli sunt constituti.
Si rarior namque sit, dilatorem reddit lucem, si densior, unidio-
rem, iudicante Casmanno l. c. p. 425. Colores vero planetarum
aemulantur stellae fixae, hinc quaedam dicuntur Sa-
turninae, aliae Iouiales, Martiales alias etc. uel ut Scicardus
habet: Accensentur, quae lucentes sunt Saturno, quae clarae Ioui,
ferrugineae Marti, flavae Soli, buxeae Veneri, cineritiae (rectius
dixisset rubisundae) Mercurio, pallidae Lunae; ut quilibet planeta
tanquam dux in exercitu stellarum suos ueluti subditos, coloris sui
aemulos habeat. Astroscop. p. 12. Quid ergo haec coloris
conuenientiam aliud indicare potest, quam fixarum et erran-
tium conuenientiam quoad substantiam? Nec
obstare cuidam debet, quod p. ex eclipsibus p. ex phaesi-
bus quorundam planetarum constet, planetas esse corpo-
ra opaca. Haec enim opacitas non omnimodam deno-
tat absentiam lucis innatae, quicquid etiam obganniant dif-
fidentes, sed illud tantum innuit, quod haec corpora sint
solidiora, luci imperuia atque non plene diaphana. Quam
enim Deus Creator in omnibus ferme rebus, ab imperfec-
toribus ad perfectiora progrediens, mirandam creatura-
rum effecit uarietatem, eam quoque in corporibus Coele-
stibus deprehendimus. Et quemadmodum materiam ter-
restrem aliam alia nobiliorem, aquas alias aliis limpidiores,
aerem aliud crassorem et ignem aliud subtiliorem
esse uidemus; ita quoque materiam illam lucis primogeniae,
ex qua omnis stellarum exercitus prodiit, multifariam fu-
isse colligimus. Vnde summe probabile uidetur, Lunam
constare ex materia illa lucis crassissima, quae tamen a ter-
restri longe adhuc differt; reliquorum autem planetarum
omnium substantiam secundum gradus lucis eorundem, ma-
gis magisque nobiliorem praestantiorē esse. Hinc
est, quod lumen copiosius aliis prae alio spargat planeta,
immo ipse Diu. Paulus lumen stellarum tum sibi ipsi, tum

V
luminī

lumini et claritati Solis contradistinguat. Cor. XV. 41. Quis itaque non uidet, planetas, qui prorsus alius naturae sunt quam terra nostra, ad producendum uitae media minime aptos esse? Grauissimo hinc tenentur errore, qui planetas globos terraqueos alendis animantibus idoneos, nominare non erubescunt. Sic Zimmermannus in Script. S. coperniz p. m. 31. corpora macrocosmica in globos lucidos 1. Coelestes, per quos Solem et stellas fixas intelligit, et in globos tenebricosos s. terrestres, quales tellurem cum omnibus planetis esse, dicit, admodum inepte distinguit, falsissima innixus hypothesi, Deum globum nostrum terraqueum et planetas ex una eademque materia produxisse. Demonstramus porro planetas incoli non posse:

2. Ratione densitatis materiae. Eandem densitatem seu copiam materiae non conuenire his mundi corporibus, ostendit Keplerus in Epit. Astronom. Copernic. Lib. IV. p. 487. Arbitratur nimirum, Solem esse omnium totius mundi corporum densissimum: quod uel ex immensa radiorum eius ui, quae non potest esse sine subiecto proportionato, recte colligit. Quem enim latet, radios Solis per specula caustica collectos et concentratos, efficacissimam excitare flammarum, lapides, metalla, aliaque corpora solidissima in fluorem redigentem? quod densitatem corporis solaris omnium maximam abunde probat. Quo igitur Soli uincinus est corpus, eo quoque densius omnino esse debet. Alias enim ab igne Solis fortissimo destrueretur. Hinc Keplerus sequentem exhibit tabulam, indicem proportionis densitatis inter planetas, adiectis metallis aut lapidibus, illis in densitate similibus:

5324 Gemma durissima.	♀ 1175 Plumbum.
2438 Magnes	♀ 1605 Hydrargyrum.
3810 Ferrum.	○ 1800 Aurum.
Tellus 1000 Argentum.	uel 1900 Aurum.

Verum

Verum cum haec proportio hypothesi nitatur Copernicorum, nos qui Tychonis ordinationi planetarum adhaeremus, eundem quidem proportionis huius ordinem admittere non possumus. Attamen quoad rem ipsam, ex modo allatis rationibus, cum Keplero sentimus, atque affirmamus planetarum corpora esse adeo dura atque solida ut, quae ad conseruationem animantium necessariam, requiruntur, producere non queant. Probatur denique inaptitudo planetarum ad incolendum

3. Ratione Situs eorundem. Quidam enim, ut Venus et Mercurius, nimis propinquai existunt Soli, omnis calor is fonti; alii, ut Iupiter et Saturnus, nimis longe a Sole distant. In prioribus propter calorem intolerabilem, in posterioribus autem propter frigus intensissimum nullum animal uitam producere posset, cuiuscunque etiam conditionis nobilioris singulantur planetarum incolae. Ex quo simul relinquitur, nullas in his planetis aquas, nullam quoque humectationem locum habere posse. In Mercurio enim et Veneri propter aëstum Solis continuo ebulliret aqua. Perpetua eius evaporatio et inde orientes nubes atque nubeculae prorsus obfuscarent horum lumen splendorem nitidissimum. In Ioue contra et Saturno aquae, si quae ibi essent, propter absentiam Solis remotissimam concrecerent, ita ut nullum plane praestare valerent usum. Quod etiam testatur Celeb. Clericus Phyfic. L. I. c. 6. p. 43. Et haec generatim de planetarum natura habitatione Creaturarum nullo modo idonea, pro instituti nostri ratione dixisse sufficient. Speciatim nunc de singulis stellis erraticis idem etiam demonstraturis, primo loco in conspectum uenit Luna, erroris, quem refutamus, genetrix. Intimam huius corporis naturam ac essentiam humano ingenio inaccessam ac imperuestigabilem, integre assequi non datur. Vnde praeter id, quod supra iam in genere de natura planetarum diximus, nihil specialius de Lu-

na proferre licet. Externam autem eius inaequalem et maculosam faciem quae primam opinioni de incolis planetarum, occasionem suppeditasse uidetur, paulo accuratius contemplari attinet.

Ex quo inuentis et adhibitis telescopiis, habitudo stellarum magis innotuit Astronomis, omnes ferme ad obseruationes suas prouocantes, in Luna uidere sibi uidentur valles profundissimas, montium concatenatorum ordines, Oceanos, maria lacuumque protractus, Insulas Oceano insertas et montibus altissimis circumdatas, flumina ex montibus erumpentia, per uarios gyros sepe in maria exonerantia, herbas, sylvas, lapides etc. Et sic Lunam globo nostro terraquo profus similem esse, sibi imaginantur. Quam egregie uero fallant et fallantur, ex sequentibus patet. Hoc equidem negare non possumus, partes quasdam superficieⁱ Lunaris esse eminentiores, alias profundiores, id quod uel nudo oculo Lunam intuentes obseruare possunt. Hinc Anaxagoram et Democritum iam Lunam habuisse *pro firmamento ignito, quod in se continet planities, montes et conuales*, refert Plut. Placit. Philof. L. II. c. 25. Verum exinde non statim sequitur, montes proprie sic dictos in Luna esse. Ipse enim finis corporis Lunaris, ut scil. *luminare magnum* esse possit, necessario requirit aliquam eius superficiⁱ asperitatem. Quandoquidem, si esset corpus perfecte sphaericum, glabrum ac speculare, uniuersum terrae hemisphaerium illuminare non posset, dum radios Solares sic ad eum saltem locum reflecteret, qui in linea reflexionis accurate esset constitutus, quoniam augulus reflexionis semper est aequalis angulo incidentiae. Id quod prolrixius demonstratum uide ap. Athanas. Kircherum in Itinere Exstatico p. 79. seq. Nos existimamus, partes Lunae eminentiores lucidioresque ex particulis constare densioribus, quae Solis radios immisso for-
tius

tius reflectunt. Omne enim corpus opacum, quo densius est, eo fortius lucidiusque, quo uero rarius, eo debilius atque obscurius reflectit incidentes Solis radios. Quod uero attinet partes Lunae obscuriores, quas maculas vocare confuerunt, in uarias de illis olim eruditii abibant sententias: Alii enim putabant, has maculas esse mera phantasmata, ex uisus fallaciis orta, alii existimabant, eas esse corpora interiacentia inter corpus Lunae et nostrum oculum, alii habebant illas pro uaporibus, quibus paucantur sydera; alii denique fingebant, Lunam esse corpus speculare, quod res oppositas reflecteret. Hodieorum plurimi in ea sunt periuasione, maculas istas oriri ex diversa partium solidarum et fluidarum in disco Lunae apparente, mixtura. Vnde dicunt, partes Lunae lucidiores esse terram, eminentiores montes, obscuriores autem aquas; quod inter alios magno conamine docuit Heuelius in sua Selenographia C. VI. p. 148. seqq. Lunae uero partes decliniores planas atque obscuriores, nihil aliud esse arbitramur, quam partes corporis Lunaris rariores et impuriores, quae Solis radios altius immisso magis absorbent atque sic lumen subobscurum efficiunt. Maculas enim Lunares quas antiquas et constantes vocant, non posse maria aut aquas esse, probat prae aliis ipse Hugenius princeps planeticularum patronus, uerbis sequentibus: *Marium similitudinem in Luna nullam reperio. Nam regiones planae ingentes, quae montosis multo obscuriores sunt; quasque uulgo pro mariibus haberi uideo, et oceanorum nominibus insigniri; in his ipsis, longiori telescopio inspectis, cavitates exiguae in esse competitio rotundas, umbris intus cadentibus; quod maris superficie conuenire nequit: tum ipsi campi illi latiores non prorsus aequabilem superficiem praeferunt, cum diligenter eas intuemur.* Quocirca maria esse non possunt, sed materia constare debent minus candente, quam quae est in partibus asperioribus: in quibus rursus

quaedam niuidiori lumine caeteris praecellunt. Cosmotheor. L. II. p. 114. seq. Huic accedit Eimmartus Ichnograph. de Sole : *Lunae maculae*, inquiens, *si essent maria, oporteret eas esse tranquillissime complanatas et inturbatas, ne forte aliqui radit ex aduerso incidentes (quod fieret, si fluctuarent) ad nos reflexi, maculas claras momentaneas repraesentarent.* Addimus porro alias adhuc rationes: Si aqua, flumina, sive aliqua saltem humiditas in Luna esset, procul dubio exhalareret in vapores, qui conglomerati et in nubes condensati, tempore aestiuo in pluvias, hyemali autem in nubes abirent. In priori casu terra Lunaris madefacta multo obscurior nobis apparet, alterum uero si accideret, radii Solares fortissime a niue repercussi, prorsus aliam eamque splendidissimam nobis sifferent Lunae faciem. Nunquam uero Lunam sic mutari, sed omni semper tempore aequali lumine splendere omnes uidemus. Accedit, quod, si iuxta mentem aduersariorum, plantae arbores ac sylvae crescent in Luna, sequeretur, eam uerno tempore, ubi rami foliaque arborum reflexionem radiorum Solis impedirent, ualde obscurari debere, quod itidem non fieri manifestum est. Nec aere aut atmosphaera Lunam cingi in aprico est. Vbi enim non sunt aquae, ibi etiam non est tanta aeris, quae potissimum ex aquae particulis constat, copia. Et si qua talis atmosphaera etiam existeret in Luna, non posset, uti recte indicat Hugenius l. c. extrema eius ora tam praecise circumscripta spectari, quam subeunte stella aliqua saepe animaduersa est; sed euania quadam luce, ac uelut lanagine finiretur.

Cum itaque Luna omnis aquae expers sit, neque animantia ibi existere possunt, cum istic omnibus alimentum praestare debeat humor. Eleganter inde scribit Aut. Anon. in Traité de l' Incertitudes des sciencens cap. 8.
Pour déterminer bien-tot tout ce raisonnement, ôtons-en le principe;
S'il

S' il n'y a point d'eaux dans la Lune, il n'y a point par consequent de plantes, d'animaux, ni d'hommes. Dès que la Lune n'est plus un monde, il s'ensuit que les autres planetes n'en sont point, et toutes nos decouvertes s'évanouissent en un moment. De reliorum planetarum singulorum natura ad sustentandos incolas plane inepta, facile ipse B. L. iudicare poterit. Nos interim progredimur, ac nullos dari incolas planetarum probamus:

III. A fine stellarum errantium. Creavit Deus illas, ut terrae incolis in umbra noctis uersantibus luceant. Sicut enim homo est, cui omnia in bonum sunt creata, ut inde recte Gerhardus dicat: Caetera Deus non iussisset fieri, nisi decreuisset hominem facere: ita etiam hominis gratia lumina haec Coeli Deus gloriosus existere uoluit, ut terram illuminent, tempora describant aliaque telluri nostrae commoda afferant, quod apodictice testantur S. literae Gen. I. 14. ubi haec leguntur Verba: *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, ut praecesset diei, et luminare minus, ut praecesset nocti, et stellas, et posuit eas Deus in firmamento Coeli, ut lucerent super terram et diuiderent lucem a tenebris.* Ad hunc finem obtinendum stellas omnes non solum aptissimas esse, sed fideliter quoque suo fungi officio uel oculorum comprobat testimonium, dum eas lumine suu nitidissimo inferius hoc gloriae Diuinae theatrum illustrare, temporum tempestatumque uicissitudines determinare aliaque multa influxu suo efficere miranda, nemo non ipse uidet. Excipiunt hic quidem illi mundi machinatores, finem stellarum imprimis erraticarum duplēcēm esse posse; aliū nūm. ut usui inferuant globū nostrū terraque, aliū uero ut simul sint habitaculum creaturarum. Quis autem eos iussit Creatori Sapientissimo aliquid affingere, quod ipsi nunquam in mentem uenisse certo certius est. Ex nullo plane fundamento duplēcem hunc finem pro-

bare possunt, nisi ex sola possibilitatis lege. Ipsa stellarum natura et omnes historiae Mosaicae de ortu earundem circumstantiae, nec non uniuersa SS. analogia, unicum tantum stellarum finem, illum scilicet ut lumine ac motu suo influant in sublunaria, euidentissime docent. Hinc Moses [Deut. IV. 19. ait: *Deus creauit astra in ministerium cunctis gentibus quae sub Coelo sunt.*] Et quilibet homo de se dicere potest: *Deus omnes creaturas ad uitae meae utilitatem et necessitatem servire mibi sinit, Solem, Lunam et sydera coelestia, diem et noctem, aerem, ignem aquam terram etc.* F. C. p. 490. Vrgemus porro pro sententia nostra:

IV. Creatorem Sapientissimum, cum in terra nostra, omnia commodius complecti potuisset, quae in planetis deprehenduntur, unum idemque saepius creasse, incredibile ne dicam superuacaneum uideri. Plures enim si adessent mundi, *numero* tantum, non autem *specie* inter se different, ut ut maxime quoad accidentalia inter se forent dissimiles. Quod autem paucioribus potest perfici, illud frustra non agit pluribus. Ens sapientissimum, quod nihil frustra facit. conf. de hoc argum. Lamb. Danaeus Physic. Christian. P. I. p. 71. Plura quidem pro sententia nostra stabilienda, argumenta ex principiis naturalibus adduci possent. Verum cum omnino sit fatendum, ea talia non esse, quae apodixin subministrant, diutius in illis haerere supersedentes, ad firmiores potius immo et omni exceptione maiores argumentandi rationes, ex ipso ueritatis infallibilis fonte petitas nos accingimus, atque nullos dari planetarum incolas probamus :

V. Rationibus quibusdam Theologicis:

I. Vniuersus S. Codex, qui tamen opera Dei uisibilia ad ipsius Creatoris Maiestatem et omnipotentiam glorificandam, accurate recitat, non nisi unius tantum mundi mentionem facit. Quanquam a silentio S. S. ad rei negationem

N. V. C.

N. V. C. tamen si eiusmodi tremenda Dei opera existent, cur S. S. ea prorsus silentio praeteriisset, nulla afferri potest ratio. *Cogites quaeſo*, ſunt uerba VVokenii, *ut* Dens cumulet, uti quaſt corradiat argumenta, quibus conuellat animas peccatorum, aliquando bruta, aliquando inanimata, aliquando angelos, aliquando homines non ita nefarie peccantes in scenam producit. *Iudicium penes Te, B. L.*, eſto, utrumne intime penetrasset animum, ſi Prophetarum aliquis ita nomine Dei locutus fuisset: *Attendite peccatores! Dedi nobis imaginem meam, at nos perdidisſis hanc gloriam. Nolite conqueri de infirmitate uel uera uel Protoplaſtorum. Ad aſtra erectos tollite uultus!* in Planetis etiam ſunt homines, quod minimum sagaciffimis Mathematicis non erit incognitum uel improbabile. Illi planetarum incolis, eiusdem cum uobis naturae ac conditionis, eandem quoque tantum, quam uestrī maioribus, largitus sum imaginem. At uero quanta in illis obedientia! quanta cura, ne hanc amittant gloriam! O uos terricolae, respifcite, illorumque hominum in ueritate pefſiſtientium ſequimini exemplum!

2. Eſaiæ XLV. 18. De terra noſtra tanquam aliquod peculiare dicitur, quod non ſit uacua ſed habitabilis. Ex quo colligitur: p. dari aliqua corpora quae uacua eſſe poſſunt, p. reliqua corpora eum in finem non fuiffe producta, ut inhabitentur. De quo conf. VVokenius Meditation. priuat. Med. XI. p. 72. Idem hic laudandus Auctor urget:

3. Si in Planetis habitant homines: aut peccarunt; aut non peccarunt. Si peccarunt: aut ipſis eſt negata aut data gratia redēptionis. Si denegata ipſis eſt gratia redēptionis, ratio haud facile reddi potest, quare huic praeteritionis non memiſſet Deus, qui tamen ad iſtā ſumma misericordiam ſuam in nos ſummum exemplum angelorum lapsorum affert. Ebr. II. 16. Iud. u. 6. Ne dicam, quod ſic gratia non foret uniuerſalis erga illos, qui tamen conuertibiles eſſent. Si ipſis autem data eſt gratia redēptionis: non ſemel, ſed ſaepē Chriſtus incarnari, mori, reſurgere

*surgere etc. debuisset, quod toti S.S. repugnat : conf. Ebr. IX. 26.
X. 14. et infinita fere alia loca. Si non peccarunt: non solum ex
filis hominum Ps. XIV. 2. forent excipiendi, quod forte facilius;
sed quoque Deus non tacuisse eorum pietatem et constantiam.*

4. In S. Codice ubique stellae tanquam pars mundi nostri spectabilis describuntur. Vnde mundus recte dividitur in Coelum et terram: concipitur enim ut circulus, cuius centrum terra, peripheria autem Coelum est. Expolita namque una parte mundi, terrâ, expolitur quoque altera Coelum, Sole, Luna, atque stellis, quas creaturas Coeli haud inepte quidam dicunt, cum B. Lutherῳ nostro, cuius verba refert Calou. Comment. in Gen. ad cap. I. p. 182. sequentia: *Sicut primo die rude coelum, et rudes terra est condita ac deinde exculta et perpolita, sic ut Coelum extenderetur et ornaretur lumine, terra autem ex aquis produccta, uestiretur arboribus et herbis; ita inchoatam et quasi rudem lucem primi diei credo quarto die perfectam esse, additis novis creaturis, Sole, Luna, stellis etc.* Ex his omnibus abunde liquet, sententiam de pluribus mundis omnem analogiam Scripturae S. atque fidei prorsus euertere, adeo, ut nemo nisi empaecta atque manifestus Sacrarum Literarum hostis eam serio defendere possit.

5. Addere volebamus, qua ratione sententia de pluribus mundis nonsolum uiam pandat ad Naturalismum, sed etiam innumerās ferme adhuc alias in se contineat absurditates. Verum ne transeamus instituti limites, hic subsistimus.

S. D. G.


K078


ULB Halle
001 507 192

3



TA-DOC





4

AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTORAT. SAX. HEREDIS
ET RELIQVA

DE

INCOLIS PLANETARVM

DISSERTATIONEM POSTERIOREM

PRAESES

M. CHRISTIANVS HEMPEL

HOENLIEBENTHALIA SILESIUS

AD DIEM XII IVN. MDCCXVII

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

PUBLICE VENTILANDAM SISTIT

RESPONDENTE

IOANNE CHRISTOPHORO SEYBT

GRYPHIM. SIL. SS. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE

LITERIS SAMVELIS GREVSIGII